

1982-03-25 – SS Ioannes Paulus II – Littera ‘Probe Novimus’

IOANNES PAULUS PP. II

LITTERAE APOSTOLICAE

PROBE NOVIMUS

**IMAGO BEATAE MARIAE VIRGINIS QUAE IN PAROECIALI TEMPLO LOCI «BRDÓW»
DIOECESIS VLADISLAVIENSIS EXSTAT, PRETIOSO SINITUR DIADEMATE REDIMIRI
«NOMINE ET AUCTORITATE SUMMI PONTIFICIS»**

Ad perpetuam rei memoriam. – Probe novimus in templo paroeciali loci «Brdów» intra fines Ecclesiae Vladislaviensis Beatae Mariae Virginis imaginem ab antiquis temporibus devotissime excoli magna cum Christifidelium fiducia in ipsam Deiparam Virginem quae «Victrix» appellatur quaeque mater providentissima, mediatrix gratiarum atque augusta regina habetur. Qua re permotus Venerabilis Frater Ioannes Zaręba, Episcopus Vladislaviensis, litteris die XXIV mensis Februarii hoc anno datis, etiam cleri et populi vota significane, Nobis enixe preces adhibuit ut Nostro nomine et auctoritate illam clarissimam imaginem ipse pretioso posset diademate redimire. Nos vero eorumdem fidelium optata et illius expostulationem cupientes exaudire Pastoris, hisce Litteris atque Nostra Apostolica potestate eidem Vladislaviensi Ordinario eas partes committimus ut imagini Beatae Mariae Virginis quae in templo paroeciali loci «Brdów» exstat, die suo arbitrio deligendo, iuxta ritum liturgicum probatum pretiosam coronam Nostro nomine et auctoritate imponat. Nos autem minime dubitamus quin haec sacra sollemnia in religionis bonum populi spirituale emolumentum bene vertant; pariterque fore confidimus ut eius loci incolae quin immo totius Vladislaviensis dioecesis Christifideles ad Beatissimam Dei Genetricem venerandam magis usque inflammentur. Contrariis quibusvis non obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXV mensis Martii, anno MCMLXXXII, Pontificatus Nostri quarto.

AUGUSTINUS Card. CASAROLI, *a publicis Ecclesiae negotiis*